

bono possibili et pati omne malum possibile, quam Deum offendere saltem graviter. Dicitur propter se, nam Deum non amat super omnia amore amicitiae, qui ita illum praefert omnibus bonis creatis, ut malit illis carere, quam Deo in aeternum privari; alioqui enim peccatores, immo et damnati dici possent (quod repugnat) Deum super omnia diligere amore amicitiae, cum eorum nullus sit, qui Deum sic non amet, naturali scilicet amore concupiscentiae. quo Deum ut sibi bonum praefert aliis omnibus bonis sibi possibilibus.

Triplex est amor Dei super omnia appetitive summus: a) quo Deus diligitur super omnia ipsi graviter displicentia, seu plus quam omnia omnino bona, sic, ut posito, quod non possint obtineri sine gravi ejus offensa, malit amans iis privari, quam contra Dei voluntatem seu legem graviter obligantem illis frui; b) quo Deus diligitur, super omnia etiam solum leviter illi displicentia; c) quo diligitur, super omnia ipsi minus grata. Vi hujus amoris homo semper eligit id, quod judicat Deo esse gratius, illudque praefert cuivis alteri bono etiam licito, quantumvis sibi commodo, delectabili et honorifico. Primus excludit affectum ad peccatum mortale, secundus etiam ad veniale, tertius omnem imperfectionem deliberram et voluntariam.

III. Ex his tribus modis amandi Deum amicabiliter solus primus est necessarius et sufficiens ad salutem ac proinde suo tempore praeceptus. Secundus est consilii, quia licet sit praecepti vitare omnia venialia, non tamen est necesse, unde nec praecepti illa vitandi ex motivo amoris benevolentiae, cum vitari possint ex motivo aliarum virtutum. Tertius in quo sita est summa perfectio christiana est etiam, ut patet, consilii. Thesis est certa contra Calvinum (1) docentem dilectionis praeceptum non posse servari in hac vita.

142. Prob. 1.^o De caelesti sapientia legimus in Scriptura (2): *In-finitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati.* David ait (3): *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Et Christus D. (4): *Vos autem dixi amicos.*

Traditione. Ex Tridentino (5) dicente hominem in justificatione ex inimico fieri amicum, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. Idem Patres docent. S. Augustinus (6) in verba Joannis *Vos amici mei* etc., «magna dignatio, quod Dominus quos novit servos suos dignetur dicere amicos.» S. Hiero-

(1) In antid. concil. Trident. sess. 6, cap. 12.—(2) Sap. VII, 14.—(3) Ps. CXXXVIII, 17.—(4) Joann. XV, 15.—(5) Sess. 6, cap. 7.—(6) Tract. 85, in Joann.

nymus (1) «Electi in amicitiam Dei jungimur.» Sed Scripturae et Patrum verba, cum nihil exigat sensum improprium, in proprio sensu sunt accipienda. Ergo...

3.^o Ratione. a) Homo per gratiam juxta S. Petrum (2) *fit divinae consors naturae* filius Dei adoptivus, haeres aeternae vitae, capax operationum divinarum et supernaturalium, ac proinde accipit similitudinem et quamdam aequalitatem cum Deo, quatenus constituitur in eodem ordine divino. Sed talis constitutio sufficit ad amicitiam. Ergo... *Min.* prob. Inter filios et parentes, subditos et principem datur vera amicitia, non quidem aequalitatis ut inter pares, sed supereminentiae. Ergo eadem dabitur inter homines et Deum intra eundem ordinem supernaturalem. b) Inter Deum et homines est sufficiens bonorum communicatio, familiaritas, conversatio ad veram amicitiam. Ergo. *Antec.* prob. Quia Deus homini communicat bona, tum naturalia, tum supernaturalia, pro quibus homo Deo tribuit gratiarum actionem, laudem, amorem, obsequium; et Deus agit cum hominibus per internas illustrationes et inspirationes; homines vero cum Deo per sanctas cogitationes et pia desideria, ei per preces exposita; quae etiam suo modo reperiuntur in infantibus, per Baptismum justificatis, ratione gratiae habitualis ad communicationem cum Deo jam explicatam de se ordinantis.

143. Obj. 1.^o Ad amicitiam requiritur mutuus amor benevolentiae. Sed Deus non potest amare homines amore benevolentiae. Ergo... *Min.* prob. Deus est essentialiter finis ultimus omnium creaturarum. Ergo non potest ordinate velle bonum hominibus, nisi illud et ipsos homines referat ad se, ut finem ultimum. Sed ita amare non est benevolentiae, quae sistit in persona amata propter se, sed concupiscentiae in amantem reflectentis in eoque sistentis. Ergo...

Resp. Neg. *min.* ad prob. Conc. *antec.* Dist. *conseq.* Nisi referat ad se ut finem ultimum sub respectu finis ultimi; conc. Sub respectu utilitatis et delectationis; neg. Ratio est quia Deus bonum vult hominibus, non propter suam utilitatem, felicitatem, etc., sed propter solam hominum utilitatem et delectationem, cum Deo proprie nihil commodi accedat ex bonis nostris.

Obj. 2.^o Non exercetur actus amicitiae erga Petrum, si quis Petro amat beatitudinem praecise propter gloriam Dei extrinsecam et non quia est bonum Petri. Ergo si Deus non vult propter nostrum bonum, etc.

Resp. Dist. *antec.* Si illud *praecise* exclusive se habet ad bonum Petri; conc. Si non exclusive; neg. Ratio est, quia si simul quis

(1) In Isai. c. XLI.—(2) II.^a I, 4.

amat beatitudinem Petri eo quod sit bonum ejus, uti Deus nostram vult beatitudinem, eo ipso jam amat beatitudinem nullo modo eam referendo ad seipsum, sed solum ad Deum, exercens actum amicitiae erga Petrum, eo modo quo ordinate exerceri potest.

Obj. 3.^o Ad amorem amicitiae praerequiritur in persona amata ratio, seu fundamentum honesti amoris, cum ametur propter seipsam... Sed tale non habetur in creatura respectu Dei. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Inter homines seu ad amorem amicitiae elicitedum a creatura; conc. Ad amorem amicitiae quo Deus amat creaturam, neg. vel subdist. Ratio quaedam naturalis; neg. Supernaturalis ab ipso Deo data; conc. Ratio disparitatis est, quod creatura, amando personam amatam, non reddat eam amore dignam, Deus autem hoc praestat amore, quo creaturae confert gratiam, qua evehitur ad ordinem divinum, ideoque redditur digna divino amore, etiam amicitiae, saltem pro posteriori rationis, quo persona per gratiam sanctificantem intelligitur evecta ad statum filii et haeredis vitae aeternae, quam Deus affectu benevolentiae paternae decernit personae antecedenter justificatae (1).

THESIS XXVI.

Objectum materiale primum charitatis est Deus, secundarium vero nos et proximus.

144. *Nota.* I. Sicut in spe ita in charitate duplex distinguitur objectum materiale charitatis; primum, quod cum sit res amata est simul ratio amandi, et in ordine ad ipsum alia objecta materialia attinguntur et amantur a charitate, quae proinde sunt objectum secundarium hujus virtutis. Objectum materiale charitatis aliud est *cui* nempe omnis creatura rationalis capax beatitudinis, cui et aeternam felicitatem et media ad eam consequendam propter Deum cupere possumus; aliud *quod* seu creaturae incapaces beatitudinis, quae tamen divinae gloriae et bono creaturarum rationalium inservire possint.

II. Quia «amicitia charitatis super communicatione beatitudinis »fundatur,» quidquid sit aliquo modo beatitudinis particeps, erit charitate diligibile; «id autem quod est beatitudinem participans, »potest esse duplici ratione diligibile; vel quia est unum nobiscum, »vel quia est nobis consociatum in beatitudinis participatione: et »secundum hoc sumuntur duo ex charitate diligibilia, prout sci-

(1) Vid. D. Thom. 2, 2, Q. 23, ar. 1; Suar. De charitate D. 3, sect. 2; Platelli. De charitate, nn. 374-384.

»licet homo diligit et seipsum et proximum (1).» Proximus igitur erit quicumque consociari nobis possit in beatitudine, unde sub eo nomine comprehenduntur animae beatae, purgatorii, et viatores omnes, nec excludendi sancti Angeli, ut expresse probat D. Thomas (2), quia homines communicant cum Angelis in participatione beatitudinis, «dicitur enim (3) quod *in resurrectione erunt homines sicut angeli in coelo.*» et confirmat auctoritate S. Augustini (4): «Jam vero si vel cui praebendum a nobis est, vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae recte proximus »dicitur; manifestum est praecepto, quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus multa nobis misericordiae impenduntur officia.»

145. I.^a Pars. Prob. 1.^o S. Paulus (5) ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* S. Matthaeus (6): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.*

2.^o Ex Patribus S. Augustinus (7): «Charitas est virtus, »quae, cum nostra affectio est rectissima conjungit nos Deo, quae »eum diligimus.» Et (8): «Charitatem voco, motum animi ad fruedum Deum propter ipsum, et se atque proximum propter Deum.» Idem supponitur in Tridentino concilio (9), nam *de charitate* Dei dicitur esse donum, quod unit perfecte cum Christo.

3.^o Quia illud est primum objectum materiale charitatis, in quo primario relucet ipsius objectum formale, quod est bonum divinum. Sed tale bonum in Deo relucet per essentiam ac adeo primario. Ergo...

II.^a Pars, quae est de fide prob. 1.^o Ex Matthaeo (10): *Secundum, autem, simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum,* S. Joannes (11): *Si diligimus invicem, charitas ejus in nobis est.*

2.^o Cum S. Augustino, ut supra in prima parte, secundo testimonio.

3.^o Ad perfectam amicitiam spectat non solum diligere eum, cum quo primario et per se amicitia contrahitur, sed etiam ratione illius, ea quae ad ipsum spectant, ut amicos, filios... etc. Sed nos ipsi et proximus pertinemus ad Deum, et possumus esse participes beatitudinis ejus. Ergo.

(1) 2, 2, Q. 25, art. 12.—(2) Ibid. art. 11.—(3) Matth. XXII, 30.—(4) L. 1, de doctr. christ. c. 30.—(5) Rom. V, 5.—(6) XXII, 37-38.—(7) De mor. Eccles. c. 11.—(8) De doctr. christ. L. 3, c. 10.—(9) Sess. 6, cap. 7.—(10) XXII, 39.—(11) I.^a IV, 7.

SCHOLIA.

146. I. Etiam corpus nostrum potest esse objectum materiale charitatis.

Ita D. Thomas (1). Ratio est, quia corpus humanum est aliquo modo capax bonorum supernaturalium et instrumentum bonorum operum. Hinc anima primario, corpus secundario diligere debet, ex quo ulterius deducit Suarez (2), aliter diligere corpus ex charitate, aliter sensuali amore; et aliter a justis et aliter a peccatoribus; nam illi amant corpus ad bona supernaturalia, hi ad infima. Unde justis magis diligunt corpus, dum illud affligunt et docent rationi obedire; nam hoc ipsum melius est, non solum homini, sed etiam corpori; at vero in malo operando peccatores plus diligunt se et corpora quam justis, quia illi suum finem ultimum in se amando constituunt.

II. Peccatores diligendi sunt charitate, nullo vero modo daemones et reprobi.

Ratio est, quia peccatores possunt participare beatitudinem; nullo vero modo daemones et reprobi (3).

III. Bona supernaturalia et etiam naturalia pertinent ad materiam charitatis quatenus amantur amico.

Ratio est, quia cum haec bona non sint personae, sint autem maximae perfectiones eorum, qui ratione utuntur, non sunt diligibilia in se, sed solum quatenus amicum perficiunt.

Idem dic proportionaliter de rebus aliis irrationalibus et inanimatis, quae licet non sint bona supernaturalia sunt tamen bonum proximi, quod ad ejus beatitudinem conferre potest; ergo potest ex motivo supernaturali charitatis illi amari (4).

IV. Deus potest convenienter dici materiale objectum adaequatum charitatis.

Ratio est, quia objectum adaequatum dicitur res illa, propter quam est primo et per se habitus, et ad quam referuntur omnia circa quae versatur habitus. Sed hujusmodi est Deus in virtute charitatis ut per se constat. Ergo.

147. Obj. 1.º Ex S. Gregorio dicente (5): «Charitas in alium tendit, ut charitas esse possit. Minus quam inter duos, charitas haberi non potest.» Ergo homo non est ipse objectum charitatis suae.

Resp. Cum D. Thoma (6). S. Gregorium intelligendum esse de charitate, prout habet rationem propriam amicitiae et versatur circa primum objectum, cum quo haec amicitia contrahitur; in quo est notanda differentia inter divinam amicitiam et humanam; nam etsi amicitia humana velit bonum amico propter ipsum, tamen homo non se diligit propter amicum, neque amor

(1) 2, 2, Q. 25, a. 5.—(2) De charit. D. I, sect. 1, n. 6.—(3) D. Thomas 2, 2, Q. 25, aa. 6, 11.—(4) Ibid. a. 3.—(5) Homil. 17 in Evang.—(6) 2, 2, Q. 25, a. 4.

sui manat ex amore amici: quin potius hic amor supponit illum et per illum quodammodo regulatur; nam debemus diligere amicos, sicut nos ipsos; at divina amicitia per se primo tendit in Deum, et inde reflectitur in amantem; et propterea hic amor est charitatis et amicitiae, etiamsi sit amor sui, amor enim sui, qui ex propria commoditate nascitur, ad amorem concupiscentiae spectat; at ille qui nascitur ex amore Dei, ad charitatem spectat.

Obj. 2.º Non datur praeceptum diligendi seipsum, sicut de proximo. Ergo non videtur charitas se extendere ad propriam sui dilectionem.

Resp. Dist. *antec.* non datur praeceptum explicite; conc. *Implicitite* in ipsa dilectione proximi et quidem sat aperte; neg. Audias S. Augustinum (1). Cum dictum est, diliges proximum tuum *tamquam teipsum*, simul et *tui* et *abs te* dilectio non praetermissa est (2).

THESIS XXVII.

Objectum formale charitatis est infinita Dei bonitas absoluta, ut auctoris ordinis supernaturalis.

148. Nota. I. Bonitas Dei absoluta prout respectivae opponitur dicitur cum D. Thoma (l. cit.) ipsa summa Dei bonitas quatenus est propter se amabilis, ita ut amor charitatis attingat Deum in ipso sistendo, non ut ex eo aliquid nobis provenire potest. Haec Dei bonitas absoluta triplici modo considerari potest: a) *implicitite* prout communis naturae et attributis Dei, qua ratione apprehendimus Deum summe perfectum et bonum, continentem omnem perfectionem sine ulla imperfectione, quin aliquam determinate et explicite consideremus... b) *Explicitite* prout complectens collectivae et determinate singulas perfectiones, sapientiam, omnipotentiam, misericordiam, etc., qua ratione apprehendimus summe sapientem, summe omnipotentem... c) *Explicitite limitata* ad unam tantum perfectionem determinatam seorsim ab aliis conceptam, qua ratione Deum apprehendimus summe sapientem, quin explicite omnipotentem, summe misericordem... concipiamus. In propositione sumimus bonitatem in primo et secundo sensu.

II. In Deum tendere prout in se est possumus: a) amore naturali, quatenus Deus habet necessariam connexionem cum natura hominis, cujus est in ipso ordine naturali principium et finis; quo modo est Deus bonum naturale seu accommodatum hominis naturae; b) amore supernaturali, quatenus in Deo consideratur infinita quaedam bonitas et perfectio, quae cum natura hominis ut sic, nullam habet connexionem, imo penitus eam superat.

(1) De doctr. christ. L. I, c. 26.—(2) Suarez. De charitate. D. I, sect. 1.

III. Prima pars est certa et communis theologorum, saltem quatenus agitur de charitate perfecta necessaria ad justificationem, contra Vincentium Bolgenium contententem, motivum charitatis theologicae, qua etiam justificamur ante realem susceptionem sacramentorum, esse bonitatem Dei relativam, ac proinde amorem charitatis esse amorem concupiscentiae. De hac sententia ait Perrone (1), «non fas esse a communi ac recepta longe lateque doctrina in Ecclesia catholica ne latum quidem unguem abscedere.» Secunda pars est tantum probabilior D. Thomae, Suarii et aliorum, contra plures volentes supernaturalitatem actus charitatis repetendam ex solo principio effectivo, non ex objecto formali, quia ajunt, Deus sub utraque ratione principii rerum supernaturalium, aut naturalium potest esse objectum formale dilectionis tam supernaturalis, quam naturalis, quare hae dilectiones possunt habere objectum materiale et formale omnino idem (2).

149. I.^a Pars. Prob. 1.^o Ex Scriptura, nam juxta eam, charitas (3): a) diligit Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine*; b) amissum invenit (4), si tamen ex toto corde quaerit eum. Ex quibus sic arguo cum Lugone (5); diligere ex toto corde, odisse ex toto corde peccatum, soli amori, qui sit propter ipsum Deum competit. Ergo... *Min. prob.* Quia quodcumque aliud motivum, ab ipsa bonitate Dei absoluta distinctum, *non apprehenditur ut summe amabile* aut contrarium *ut summe detestabile*, sicut si consideratur ipsa bonitas Dei in se, et contrarium seu peccatum ut est malum Dei; sic enim sicut Deus superat omnia bona, ita peccatum superat omnia mala omnibus modis considerata, et ut sic generat summam omnino detestationem.

2.^o Ex PP. Ex S. Augustino citato in thesi praecedente: «Charitatem voco motum animi ad fruendum Deum propter ipsum.» Frui autem definitur ab ipso (6): «Frui est amore inhaerere alicui rei propter seipsam.» S. Bernardus (7): «Causa diligendi Deum, Deus est... non sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit... verus amor praemium non requirit, sed meretur... «Est qui (secundo) confitetur (Domino) quoniam sibi bonus est; et item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est... secundus mercenarius (est) et cupit sibi: tertius filius et defert Patri.» Et concludit: «Sola quae in filio est charitas, non quaerit quae sua sunt.» Catechismus concilii Tridenti-

(1) De virtut. theologis.—(2) Platelli. De charitate, n. 393.—(3) Deut. IV, 5; Matth. XXII, 37; Marc. XII, 29; Luc. X, 27.—(4) Deut. VI, 29.—(5) De poenit. D. 5, n. 11.—(6) De doctr. christ. L. 3, c. 1.—(7) De diligendo Deo, c. 12.

ni (1): «Monet nos vera charitas, totum ut animum et studium conferamus in Deum, qui quoniam solus est in seipso summum bonum, jure est praecipuo quodam ac singulari amore diligendus.»

3.^o a) Quia charitas, ut diximus, est amicitia hominis ad Deum. Sed per eam volumus Deo bonum propter se, et propter infinitam ejus perfectionem seu bonitatem ibi sistendo. Ergo... b) Charitas est dilectio omnium excellentissima; ergo nititur motivo omnium excellentissimo, quod est infinita Dei bonitas absoluta. c) Amare Deum propter bonitatem ejus respectivam, non est actus charitatis seu amoris amicitiae, sed spei seu amoris concupiscentiae. Ergo.

150. II.^a Pars. Prob. 1.^o Auctoritate D. Thomae et ratione (2): a) «Deus secundum quod est universale bonum, a quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab unoquoque: in quantum vero est bonum beatificans universaliter omnes supernaturali beatitudine, sic diligitur dilectione charitatis.» b) «Charitas diligit Deum super omnia eminentius, quam natura: natura enim diligit Deum super omnia, prout est principium et finis naturalis boni; charitas autem secundum quod est objectum beatitudinis, et secundum quod homo habet quamdam societatem spirituales cum Deo (3).» Unde illud est objectum formale charitatis supernaturalis, quod illam objective distinguit ab amore naturali benevolentiae in Deum. Sed tale est Deum esse nostram beatitudinem supernaturalem. Ergo.

Hoc argumentum ita breviter proponit Suarius (4): Hi amores distinguuntur tamquam amor accommodatus naturae, et excedens naturam; ergo objecta formalia eorum eadem ratione distinguuntur. Confirm. a) Ex S. Augustino dicente (5): «Noveris itaque, non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. officium autem est, quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est.» Haec dicit loquens de virtutibus supernaturalibus... b) Ex propositione 34.^a Bajii damnata, quae sic se habet: «Distinctio illa duplicis amoris, naturalis, scilicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut glorificator, vana est et commentitia:» quam, licet adversarii dicant damnatam esse, quia Bajus docuerat amorem Dei ut auctoris naturae non posse esse naturalem, ac proinde amorem Dei naturalem esse omnino impossibilem: negare, tamen, non possunt, id stabilis Bajum in damnata propositione, declarando *vanam et commentitiam distinctionem* horum amorum *petitam ex objectis*. Sed juxta

(1) P. 4. De or. domin. pet. 1.^a—(2) 1, 2, 60, ad. 4.—(3) 1, 2, Q. 109, a. 3.—(4) De charitate. D. I. sect. 2, nn. 5, 6.—(5) L. 4, contr. Julian, c. 3.

adversarios nostros, re vera *vane et commentitiae* ex solis objectis discerneretur amor supernaturalis a naturali. Ergo...

2.^o Quando inter amantem et amatum communicatio et unio est diversi ordinis, etiam ratio diligibilis et boni quae in objecto apparet, distincti est ordinis. Sed Deus aliam conjunctionem et communicationem habet cum natura, ut tantum dat illi esse naturale; aliam vero ut dat illi esse supernaturale et propriam participationem suae beatitudinis. Ergo secundum has diversas rationes, habet diversam rationem objecti.

3.^o Deus ut bonum naturae accommodatum, est bonum comparabile per naturalia media; ut bonum vero excedens, offertur ut obtinendus per media supernaturalia, et ipsamet consequutio illius est omnino supernaturalis. Ergo illud objectum, sub hac ratione boni, est non solum summum bonum, sed etiam bonum excedens totam naturam et ejus vires.

4.^o Deus potest proponi ut amandus per supernaturalem regulam, ad modum quo in virtutibus moralibus infusis, eadem materia, quae alias naturalis est, per conformitatem ad supernaturalem regulam inducit rationem formalem objecti et motivi supernaturalis. Sed tunc Deus etiam secundum ejus bonitatem, quae naturaliter apprehendi potest, habebit rationem objecti supernaturalis et diligibilis. Ergo.

5.^o Ratione generali pro distinctione cujuslibet actus naturalis a supernaturali entitative ex objecto formali, ita: Nullum principium particulare ad *essentialem et specificam rationem actus naturalis* requisitum potest esse supernaturale. Sed objectum formale actus est quoddam principium particulare ad *essentialem et specificam rationem actus naturalis* requisitum. Ergo impossibile est, ut objectum formale naturalis actus sit supernaturale; ac proinde actus naturalis non potest habere idem objectum formale cum actu supernaturali, cujus objectum formale necessario est supernaturale.

151. Obj. 1.^o Movemur saltem ordinarie ad amandum Deum actu charitatis propter beneficia a Deo accepta, et quia majora amantibus se promisit. Ergo non sola bonitas absoluta, etc.

Resp. Movemur ut per motivum intrinsecum actus charitatis; neg. Ut per motivum extrinsecum, sicut propter motiva credibilitatis movemur ad credendum Deum actu fidei; conc. Ratio est, quia non raro amor Dei imperatur a gratitudine, quae est juxta D. Thomam (1) pars religionis, vel ipsa religio; elicitive tamen est a charitate, cum proxima ratio objecti in illa dilectione sit bonitas Dei, cui gratitudo obsequium amoris imperat.

(1) 2, 2, Q. 106, a. 1.

Inst. Possumus velle Deo bonum proxime et immediate propter beneficium factum. Ergo.

Resp. Actum illum esse elicitem a gratitudine et non a charitate: notandum tamen hanc gratitudinem, ut perfecta sit, et amicitiam respiciat, non tam esse propter beneficium quod in nobis fit, quam propter amorem ex quo illud oritur, ut docet D. Thomas (1). Unde cum Deus perfecte amatur propter beneficium, potius amatur quia nos amat; hoc autem charitatis est et amicitiae, neque actus hujus ratio objectiva est extra divinam bonitatem; nam amor quo Deus nos amat, ipse Deus est, et summa quaedam perfectio ejus, item ipse nos amat quia bonus est; inde quia amatur eo quod amet, amatur etiam quia bonus est.

Obj. 2.^o D. Thomas (2) dicit: «Bonum autem divinum, in quantum est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni; et ideo amor charitatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor.» Sed beatitudo est bonum nostrum seu bonitas Dei respectiva. Ergo...

Resp. Id dicit D. Thomas sumendo bonum divinum ut est beatitudinis objectum materialiter et specificative; conc. Formaliter; neg. Sensus ergo D. Thomae est: Deum secundum quod apprehenditur in beatitudine i. e. ut summe bonum et perfectum ipsius naturae ordinem excedentem seu supernaturaliter, esse objectum speciale charitatis. Ita intelligunt D. Thomam auctores communiter, excepto Scoto, qui propterea D. Thomam impugnat.

Obj. 3.^o Perfectio, per quam Deus est principium bonorum naturalium, eaque eminenter continet, est aequae infinita et aequae supernaturalis, ac perfectio, per quam est principium bonorum supernaturalium. Ergo illa aequae reddit Deum infinite amabilem amore amicitiae supernaturali, ac ista.

Resp. Dist. *maj.* Materialiter et in se; conc. Virtualiter et respective ad nos; neg. Nam quamvis attributum bonitatis adaequate spectatum sit unum; attamen nihil obstat, ut ad modum in praenotatis explicatum, diversa in Deo bonitas a ratione nostra distingatur: sicut etiam beati, non quidem per ipsam visionem beatificam, sed per cognitionem abstractivam, duplicem ejusmodi amandi rationem distinguere et sub utraque ratione Deum amare possunt.

Obj. 4.^o Saepissime justii contemplatione rerum naturalium accenduntur ad amorem supernaturalem, ut docet Bellarminus (3), et ex praxi S. P. Ignatii aliorumque sanctorum constat: »Heu quam sordet tellus dum caelum aspicio.« Sed ex tali contem-

(1) 2, 2, Q. 106, a. 5.—(2) 2, 2, Q. 23, a. 4.—(3) De Ascensu mentis in Deum. THEOL.—Tom. IV.—P. II.